

Letter 77: 7 February 1521, Constance, Johannes Alexander Brassicanus to Capito

The manuscript of the letter is in Ki.Ar. 25a, # 42.

Brassicanus Capitoni S. P.

5 Nondum excidit, Capito cordatissime, humanissima illa tua humanitas qua me Moguntiae
in aedibus tuis deprehensum benevolentissime complexus es. Certe ut per Musas verum fatear,
commonstrabas hic mihi Cynnabeuma quoddam: te negociorum etiam plaustris adobrutum tam
libenter officiosos amicos recipere, quam caeteri etiam ad lotophagos haerentes vel
adcommodatissimos inviti suscipiunt. Debemus igitur tibi, hoc est viro non minus integro quam
10 insigniter erudito, quicquid usquam praescribit officii pietas, denique quidquid usquam nuda
graciarum iubet synceritas. Non dubito quin Brassicanum tuum aequis radiis diligas, si literas
spectes profecto ne in cena quidem nominandum, sin egregium in bonas literas conatum multis
nominibus tua fide dignum hominem.

15 Proficiscitur ad te licentiatus ille doctrinae atque vitae non poenitendae. Hunc si quid in
Fabri nostri negotio iuvare poteris quaeso, quaeso, bene citharisa; quicquid in hunc operae
contuleris, bonis studiis te consuluisse vere credito. Fabro Faber commendatior atque notior est
quam ut meis coloribus egeat. Vale, basilice vir clarissime atque charissime, atque aulam tuam
patienter feras, forsan brevi et hoc pelago dabitur emergere.

20 Saluta meo nomine millies D. Chasparum Hedium, theologum probatissimum, Ludovicum
Carinum Musarum delitias, meum mel Hartmannum item Hallwilerum iuvenem vere nobilem,
mihi bis per omnia charissimum. Rogo velis caussa amicitiae vel tribus verbis respondere.
Constantiae anno MDXXI, mensis Februarii, die vii.

Tuae prestantiae devotus Ioannes Alexander Brassicanus.